

terpretatione vulgata, caractere grandi, aterrimoque scripti, capitalibus librorum auro, coloribusque nitentibus. *Epistolae Hieronymi ad Paulinum et Desiderium* praecedunt. Sequitur *Pentateuchus*, *Josue*, *Liber Judicum et Ruth*. Josue pariter *Prologo Hieronymiano* instructus est.

## VII. VI A. 14.

- 14 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 272. Est Pars II. *Biblicorum* a Cod. praecedente incipientium, eodem caractere, iisdemque ornamentis. Infunt *Libri IV. Regum. II. Paralipomenon. Esdrae primus. Nebemias. Esdrae alter (tertius). Tobias. Judith. Esther*. Singulis praefixi sunt *Prologi Hieronymiani*. Ante I. *Paralip.* habetur ille, qui incipit: *Si septuaginta interpretum &c.* et quidem sine rubrica Calligraphi; ante II. vero ille, cujus initium est: *Quomodo graecorum historias &c.* rubrica minuta margini interiori adscripta.

## VIII. VI A. 15.

- 15 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 222. Est Pars III. *Biblicorum* praedictorum, continetque *Parabolas Salomonis, Ecclesiasten, Cantica Canticorum, Sapientiam, Ecclesiasticum, Isaiam, Jeremiam cum Baruch et Epistola* missa ad Captivos in Babylone. *Salomonis libri, Isaias et Jeremias Hieronymi Prologos* habent. *Ecclesiasti* insuper praefixus est il-
- Denis Codd. mss. theol. Bibl. Palat.

le ejusdem Doctoris, qui incipit: *Memini me hoc ferme quinquennio, quemque legere est edit. Opp. Vallarsianae T. III. Veronae 1735. col. 381.* Sua quoque *Praeloquia Sapientia et Ecclesiasticus* habent ex generali Hieronymi in *Libros Salomonis Praefatione* excerpta. *Jeremiae* demum inepte affluta est pars C. 3. *Baruch* a v. 9. usque ad finem, quem errorem observans tardius Scriptor in margine exteriori minio adjecit: *hoc capitulum hic uocat.*

## IX. VI A. 16.

Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 196. Est Pars IV. *Biblicorum* haecenus recensitorum, quae eadem manu et eodem ornatu complectitur *Jobum, Ezechielem, Danielelem, XII. Prophetas minores, librosque II. Machabaeorum. Job et Hieronymi et alio quodam Prologo munitus est, qui ejus Genealogiam narrat. Ad Jobi calcem imprudenter intrusa est pars Praefationis Hieronymianae in Libros Salomonis, finis item Baruch Prophetae cum Jeremiae Epistola, et tum demum Ezechielem, aliique suis, excepto Daniele, insigniti Prologis Prophetarum consequuntur. Prologi hi magnam partem ex Hieronymi Commentariis in Prophetas minores decerpti sunt, ut conferenti T. VI. Opp. edit. Vallars. Veronae 1736. patebit. In fine Codicis nostri thecae inscriptum legitur: *Iste liber est fratrum predicatorum**

B rum